



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xxvj. De Decimis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

*a. d. cap. requi-  
siti. §. se-  
cūs autem.  
ext. de te-  
sta.* Secūs<sup>a</sup> autem est, si quid lege-  
tur Episcopo, & capellis, vel mo-  
nasterijs, aut alijs pijs locis: nā  
hoc casū, quod Episcopo lega-  
tur, eius præcipuum est: cum Ec-  
clesia cathedrali, & de illis quæ  
alijs locis legantur, portionem  
Canonicam nihilo minùs obti-  
nebit. Et hæc ideo tā variè, quia  
non tanta inter monasteria aut  
capellas est communio, quanta  
inter Ecclesiam cathedralem &  
Episcopum, qui cathedrali spi-  
rituali copulatus est coniugio:  
vnde & quæ acquirit Episco-  
pus, non illis, sed isti tantum ac-  
quirit.

*Si testator aliquid Episcopo, aliquid Ecclē-  
sijs reliquit. & iussit Episcopum esse contentū  
suo relicto. posthabita detractioe quartæ. ser-  
uanda est testatoris voluntas, nisi sit facta in  
fraudem. h. d.*

*b. cap. officij.  
& infra.  
ext. de te-  
stam.* Hoc autem tunc obtinere o-  
portet, si simpliciter Episcopo  
legatū factū fuerit: ceterum si e-  
am adiecerit conditionē testa-  
tor, vt Episcopus suo sit legato  
contentus<sup>b</sup>, & ipse legatū agno-  
uit, quia per hoc alijs renuncia-  
se videtur, de cæteris portionē  
exigere non poterit. Sed si con-  
stitit, quòd eadem adiecta cō-  
ditione in fraudem modicum  
constituit mortuarium, vt Epi-  
scopus portionē debita fraude  
tur in cæteris, quia dolus cui-  
quam patrocinari nō debet, po-  
terit is etiam ex alijs relictis exi-  
gere portionē à Canone consti-

tutam, saluis tamen indulgen-  
tijs, quæ à Roman. Pōtifice qui-  
busdam regularibus sunt con-  
cessæ.

*Relictum ei, qui potest propriū possidere  
non habenti prælationem, uel administrationē,  
à quocunq; præsumitur relictum intuitu pro-  
priae personæ, non Ecclesiæ. h. d.*

Illud<sup>c</sup> etiam generaliter ob-  
seruandum est circa eū, qui pro-  
priū possidere potest, prælatio-  
nem, vel administrationem Ec-  
clesiæ non habentem, quòd si ei  
aliquid relinquatur specialiter,  
non solum à propinquo, verum  
etiam ab extraneo, non intuitu  
Ecclesiæ, sed personæ esse reli-  
ctum intelligitur, nisi probatio  
in contrariū appareret: & idcir-  
co de illo, nec Episcopus, nec  
Ecclesia potest in vita eius sibi  
aliquid vindicare.

*Episcopalis & parochialis pari passu am-  
bulant. h. d.*

Item de quibus relictis paro-  
chialis portio non detrahitur,  
nec Episcopalis detrahēda erit.

## DE DECIMIS, TITVLVS XXVI.

*Ponit subordinationem tituli ad præceden-  
tia, & sequentia h. d.*

**E**Xplicito tractatu rerum,  
quæ spiritualitate quadam  
cōtinentur & cēsantur, su-  
perest nūc, vt de rebus Ecclesia-  
sticis quidē, sed temporalibus,  
illarumque administratione di-

ca-

*c. cap. requisi-  
ti. §. illud.  
ext. de te-  
stam.*

camus. Sed cum decimæ mediam quædam inter spirituales res & temporales naturam obtineant, quippe quod ipsum de cimâdi ius spirituale sit, fructus verò ipsi decimarum temporales & profani, merito de his quasi in confinio quodam, tractatus habendus erit, & tam præcedentibus, quam subsequenter annectendus. Quod eo etiam congruentius posse fieri videtur, quod & proximè de ijs, quæ sacerdotibus, & Ecclesijs parochialibus debentur, & similè naturam habere videntur, loquuti fuimus, & ipsarum quoque decimarum ad parochiales Ecclesias iure communi spectat perceptio.

Quid sit decima. h. d.

Decima est quota bonorum mobilium pro Deo, tam diuina, quam humana constitutione debita<sup>a</sup>.

Decimarum alie personales, alie prædiales. b. d.

Decimarum duæ sunt species: personales, & prædiales. Personales sunt, quæ ex ijs proventibus deducuntur, qui ex propria cuique solertia & industria obueniunt, utputa de negotiatione, artificio, & militia. Prædiales sunt, quæ ex fructibus prædiorum soluuntur, ut de vino, tritico, & his similibus, quas in signum vniuersalis sibi retenti dominij, reddi Deus præcipere voluit<sup>b</sup>.

Personales præbende debentur Ecclesiæ, in qua quis sacramenta percipit: prædiales uero Ecclesiæ, in cuius finibus sunt constituta prædialia, nisi aliud inducat consuetudo, h. d.

Inter personales autem & prædiales decimas hoc interest, quod personales illi solum parochiæ debentur, in qua quis Ecclesiastica sacramenta percipit, tamen si lucrum alibi contigerit: prædiales uero, si ex prædijs in aliena parochia constitutis fructus collecti fuerint, ei debentur Ecclesiæ regulariter, in cuius territorio prædialia sunt constituta: quanquam si consuetudo aliud introduxerit, seruada erit<sup>c</sup>.

Personales decimæ, quæ soluitur ex rebus ueditis et paratis pecunia decimata, soluitur de redditibus impedijs, secus uero prædiales, et fructus non, nisi cum onere decimarum, alienari possunt. h. d.

Item si personales, quæ de rebus acquisitis, vel factis ex pecunia decimata, si uendantur, soluende sint, utputa si uendatur domus, ager, uinea, molendinum, grex, aut merces, quælibet expellet prius, quas quis in rebus paratis fecerit, deduci debent, & de residuo, quasi de lucro, decimæ præstabitur. Expensas uero etiam seminibus, quæ sunt pro percipiendis fructibus, ex illis, de quibus fructus ueniunt, etiam si decimatae fuerint, non deducuntur: quoniam, salua decima, fructus efficiuntur eorum, qui expensas ipsas faciunt: sed nec fructus ipsi, nisi cum onere decimarum, alienari poterunt.

<sup>c</sup> ad apostolicæ. h. nouis. ext. cod. tit.

<sup>d</sup> cap. si. ext. de paroc. et cap. cum in tua. in fin. ext. cod.

<sup>e</sup> d. cap. ad apostolicæ. in fin.

<sup>f</sup> cap. pastoralis officij. ext. cod. tit.

<sup>a</sup> cap. parochianos. ext. cod.

<sup>b</sup> cap. tuano bis. uers. nis. ext. co.

Non deducuntur impensæ factæ pro instaurandis rebus, de quibus soluendæ sunt decimæ, tam personales, quàm reales. h. d.

Illud commune tamen est tã personalibus, quàm prædialibus, quòd expensæ, quæ factæ fuerint pro restaurando detrimento rerum, ex quibus decimæ persoluantur, ut si pars aliqua moriatur armenti, vinea fiat deterior, mercis depereat portio, de prouentibus decimandis minimè deduci debent. Cuius rei illa est ratio, quòd penes Dominum res instauratæ remanent.

Census & tributa de fructibus, de quibus decimæ soluendæ sunt, non debent deduci. h. d.

Sed nec census, nec tributa de fructibus, de quibus decimæ persolueudæ fuerint primitus deduci poterunt. Cùm enim in signum vniuersalis dominij, quasi quodam speciali titulo decimas sibi Dominus reseruauerit, consequens est, ut in prerogatiuam dicti generalis dominij decimarum solutio, census & tributorum præcedat exactio: vel saltem hi, ad quos census, vel tributa peruenerint, quoniam res cum suo transit onere, decimas soluere per censuram Ecclesiasticam compellantur.

De omnibus prouentibus decimæ solui debent. h. d.

Eadem ratione constitutum est, ut non solum de vino & grano, fructibus arborum, & hortorum

decimæ persolui debeant, sed etiam de pecoribus, de uentionibus, negotiationibus, de ipsa etiam militia, & denique de omnibus bonis, & prouentibus omnibus, ita ut qui de his eas cum integritate soluere neglexerint, Ecclesiastica districtione percelli debeant.

Omnes tenentur soluere decimas, tam Christiani, quàm Iudæi. Iudæi tamen tantum prædiales tenentur soluere, Christiani & prædiales, & personales. h. d.

Illud etiam nullam recipit dubitationem, ad solutionem earum quemlibet teneri, nisi quis speciali priuilegio ab ipsarum præstatione doceatur exceptus. Unde non solum Christiani, sed etiam Iudæi tenebuntur. Inter eos tamen illa est differentia, quòd fideles ad personales & prædiales præstandas indistinctè tenentur: Iudæi uero ad prædiales tantum, quas si reculent soluere, ad ipsas possessiones renouandam compellendi erunt, ne forte hac occasione Ecclesie suo iure fraudari valeant.

Monachi, regulares, & clerici communiter uiuentes soluunt prædiales decimas, & quòd nouale, est ager de nouo redactus ad culturam. h. d.

De monachis & regularibus, seu clericis communiter uiuentibus uideamus, & sanè nulla sit ratio, ut ab his de laboribus ac nutrimentis proprijs decimæ

e cap. de terris. ext. cod. tit. & cap. pen. in fin. ext. de usur.

f cano. decimas à populo. lo. 16. q. 1.

mæ

mæ extorqueantur: ad prædial-  
les tamen etiam de noualibus,  
de quibus antea decimæ solue-  
bantur, tenebuntur. Est autem  
nouale<sup>a</sup>, ager nūc primū pro  
scissus, & nuper ad culturam re-  
dactus: de quo, quòd aliquādo  
cultus fuerit, memoria non  
extat.

*Decimas soluere tenentur monachi, & alij  
communiter uiuentes etiam de prædijs de no-  
uo acquisitis, & proprijs manibus excoltis, ni  
si obstet aliquod priuilegium. h. d.*

Sed & si ijsdem possessiones  
pia fidelium deuotione collatæ  
fuerint, aut pro monasterijs de  
nouo fundadis comparatæ, vel  
quoquo modo recenter acqui-  
sitæ, etiam si eas proprijs mani-  
bus aut sumptibus excolant, ni  
hilo minùs decimas persoluet  
Ecclesijs, quibus ratione taliū  
prædiorum antea soluebantur,  
nisi<sup>b</sup> super hoc speciali iure, vel  
priuilegio muniti esse proben-  
tur.

*Priuilegium tollitur re præiudicata et præ-  
scriptione. h. d.*

Sed<sup>c</sup> nec semper eis priuile-  
gium suffragabitur: nam si res  
iudicata oblitat, vel priuilegio  
muniti decimas per quadragin-  
ta annorum spacium soluerint,  
cum liberum sit unicuique iuri  
proprio renunciare, præstatio-  
ne tanti temporis proprio pri-  
uilegio derrahere uoluisse præ-  
sumuntur, & ea propter ad de-  
cimarum præstationem com-

PELLI poterunt.

*Priuilegia sunt interpretanda, ut nemini in  
debitè damnum inferant. h. d.*

Item si post initam inter ali-  
quos super decimis conuentio-  
nem certi tenoris priuilegia ob-  
tenta fuerint, nisi cōuentioni p  
ea derogetur expressè, illis nō  
obstantibus, erit inuiolabiliter  
obseruanda: ita enim huiusmo-  
di priuilegia sunt accipienda,  
ut nemini læsionem, præcipuè  
enormem, inferre debeant. Vn-  
de<sup>d</sup> si per huiusmodi concessio-  
nes parochiales Ecclesias adeo  
grauari contingat, ut Rectores  
de redditibus earū congruè sub-  
stentari, & Episcopo debita p-  
soluere non possint, per loco-  
rum Ordinarios ita prouiden-  
dum erit, ut eisdem Rectoribus  
tantum relinquatur, quòd & cō-  
petentem sustentationem ha-  
bere, aliaque onera debita sup-  
portare valeant.

*Priuilegiati super decimis, tenentur illas sol-  
uere de prædijs conductis, & priuilegiatus su-  
per laboribus proprijs soluet decimas super  
prædijs locatis. h. d.*

Super decimis quoque non  
soluendis priuilegiati, si aliena  
prædia conduxerint<sup>e</sup>, priuile-  
gio minimè obstante, de condu-  
ctis prædijs solitas decimas pa-  
rochijs suis integras persoluet.  
Idemq; erit de locatis prædijs,  
si priuilegiatus sup laboribus,  
quos proprijs vel manibus, vel

*a cap. quid per  
nouale. ext.  
de uer. sign.*

*b cap. 2. §. de  
terrim. cod.  
tit. in 6.*

*c cap. si de ter-  
ra. extra. de  
priuile.*

*d cap. 2. §. sub  
autem. cod.  
tit. in 6.*

*e cap. dilecti fi-  
lij. & cap.  
ex parte.  
extra. cod.  
& capit.  
seq.*

sumptibus excoleret, terras suas alijs locauerit.

*Laici, & etiam Imperator non possunt concedere priuilegium super decimis non soluendis. h. d.*

Generaliter autem, nisi huiusmodi immunitatum priuilegia ab Apostolica potestate obenta fuerint, nullam habebunt efficaciam, ideoque etiam Imperialis concessio quantumcunque concepta generaliter, cum nulla sit laicis de spiritualibus disponendi facultas, à solutione decimarum neminem poterit eximere: imò sacrilegij<sup>b</sup> crimen incurrit, qui de manu laicorum rem Ecclesiasticam recipiet.

*Laicus etiam de manu clericorum non potest decimas recipere sub pena excommunicationis, & priuationis sepulturæ, & clericus concedens deponetur. h. d.*

Ex contrario quoque laicus etiam à clericali potestate decimas recipere, & in alium, velut hæreditario iure, transmittere non poterit: & si secus actum fuerit, & qui cõcesserit, à statu suo deicietur<sup>c</sup>, & qui receperit, & Ecclesiæ non reddiderit, & uiuens excommunicationis vinculo<sup>d</sup> innodabitur, & mortuus Ecclesiastica sepultura carebit<sup>e</sup>.

*Reditus decimarum locari possunt, dum modo locatio non sapiat alienationem. h. d.*

Si<sup>f</sup> quis tamen, cum Ecclesiæ suæ conditionem meliorem fa-

re possit, decimarum suarum proventus alicui locare uelit, dum modò huiusmodi locatio ad feudum, vel alienationem non uideatur extendi, id facere minime impiedetur.

*Episcopo debetur à Rectoribus quarta decimarum, quas exigunt, nisi præscripta fuerit. h. d.*

Postremò sciendum est, quòd ueluti parochialibus Ecclesijs (secundum ea, quæ proximè exposuimus) decimæ debentur, ita etiam decimarum ipsarum quarta Episcopo à Rectoribus Ecclesiarum, nisi legitima obster præscriptio<sup>g</sup>, persolueda erit.

## DE REBUS ECCLESIAE alienandis, vel non,

### TITVLVS XXVII.

*Regulariter Episcopus non potest aliquid agere sine consensu, uel consilio capituli. hoc dicit.*

**T**Ractemus nunc de rebus temporalibus Ecclesiarum, illarumque administratione & alienatione, sine quibus spiritualium dignitas haud facile consistere potest. Et quidè illud in primis firmare nos oportet, nihil Episcopum regulariter sine consensu sui Capituli, vel consilio posse super his statuere: cum uelut caput ad membra, ita sese praelatus habeat ad Capitulum. In eo autem totius

*a cap. iua. cl. i. extra. cod. tit.*

*b cap. dudum. S. cum sacri legij. extra. cod.*

*c cap. quãuis sit. in fin. extr. cod.*

*d capitu. ad hæc. co. tit. extra.*

*e cap. prohibemus. extra. cod. tit.*

*f cap. 2. extr. locati.*

*g cap. de quarta. extra. de præscrip.*